

non defuit, sed repressus est: animus aequalis gerendis, qui nec magna pro vilibus, nec minora pro magnis duceret, moderatio pro negotiis, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum. Fide primus, justitia praecipuus, in praelio strenuus, in victoria non avarus, domi hospitalis, uxori sedulus. Sanctum quoque ejus nepotem Jacob delectabat domi securum degere,<sup>1)</sup> sed mater voluit eum peregrinari, ut daret fraternae iracundiae locum. Vicit appetitum consilii salubritas. Exul domo, profugus a parentibus, ubique tamen convenientem mensuram negotiis tenuit, et temporibus opportunitatem reservavit. Acceptus domi parebus, ut alter maturitate provocatus obsequii benedictionem daret,<sup>2)</sup> alter amore pio propenderet. Fraternali quoque iudicio praelatus, cum cibum suum fratri cedendum putasset, delectabatur utique alimento secundum naturam, sed secundum pietatem cessit petito. Pastor domino gregis fidus,<sup>3)</sup> socero gener sedulus, impiger in labore, in convivio parcus, in satisfactione praeivius, in remuneratione largus.<sup>4)</sup> Denique sic fraternam mitigavit iracundiam, ut cujus verebatur inimicitias, adipisceretur gratiam. Quid de Ioseph loquar, qui utique habebat cupiditatem libertatis, et suscepit servitii necessitatem?<sup>5)</sup> Quam subditus in servitute, quam in virtute constans, quam benignus in carcere, sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in ubertate providus, in fame justus, ordinem laudis rebus adjungens, et oportunitatem temporibus, aequalitatem populis officii sui moderatione dispensans? Iob quoque juxta secundis atque adversis rebus irreprehensibilis, patiens, gratus Deo, atque acceptus, vexabatur doloribus, sed se consolabatur.<sup>6)</sup> David etiam fortis in bello, patiens in adversis, in Hierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute providus, rerum modos, vices temporum, per singularum sonos servavit aetatum:<sup>7)</sup> ut mihi videatur

1) Gen. 27. 2) Jd. 25. 3) Jd. 31. 4) Jd. 33. 5) Jd. 30. 6) Job. 2. 7) 1. Reg. 17.